



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XL. Gregorii Papae I. Ad Pantoleonem Notarivm. De filia diaconi a
Felice episcopi nepote stuprata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

transmitteres. Et ideo si facta interrogatione quam diximus suprascriptum ad nos diaconum transmissurus es, clerum & populum ciuitatis ipsius admonere curabis, vt cum eo, quantumcumque potuerint, venire non differant; quatenus eis præsentibus, si Deo placuerit, qui ordinandus fuerit consecretur. Præterea, quia Felix defensor puellam nomine Catellam habere dicitur, quæ cum magnis lacrymis, & vehementi desiderio habitum conuersionis appetit, sed eam præfatus dominus suus conuerti minime permittit; proinde volumus vt experientia tua præfatum Felicem adeat, atque puellæ eiusdem animum sollicitè requirat, & si ita esse cognouerit, precium eiusdem puellæ suo domino præbeat, & huc eam in monasterio dandam cum personis grauibus Domino auxiliante transmittat. Ita vero hæc age, vt non per lentam actionem tuam præfatæ puellæ anima detrimentum aliquod in desiderio suo sustineat.

EPISTOLA XL.

GREGORII PAPÆ I.

AD PANTALEONEM NOTARIVM.

De filia diaconi a Felice episcopi nepote stuprata.

Gregorius Pantaleoni Notario.

QUESTVS est nobis Euangelus Sipontinæ ecclesiæ diaconus filiam suam a Felice fuisse, quod dici nefas est, ^{Iuo part. 8. 6. 23.} stupratam. Pro qua re huius præcepti auctoritate suffultum ad Sipontinam ciuitatem te proficisci necesse est, & adhibitis tibi sapientibus illic viris, cum omni subtilitate veritatem curabis addiscere: & si ita repereris, quam stuprauit, aut vxorem factis nuptialibus instrumentis accipiat, aut corporaliter castigatum in monasterium eum priuatum communionem, vbi pœnitentiam peragat, tradere festinabis, ita vt nulla exinde ei sit quoquo modo egrediendi licentia, nisi hoc nostra permiserit fortasse præceptio. Præterea quia supradictus diaconus de hostibus se redemptum, ac propterea debitum habere commemorat; ideo si talem eius substantiam non esse cognoueris, quæ ad reddendum debitum ipsum possit sufficere, Felici fratri & coepiscopo nostro te imminere præcipimus, vt

Concil. Tom. 13.

Rr ij

eius precium de ecclesia dare non differat, quatenus supradictus Euangelus diaconus sine tarditate aliqua a debiti possit necessitate, cui est suppositus, liberari.

EPISTOLA XLI.

GREGORII PAPÆ I.

AD FELICEM EPISCOPVM SIPONTINVM.

De diuersis causis emendandis.

Gregorius Felici episcopo Sipontino.

PROPOSITI nostri sollicitudo nos vehementer adstringit, ut ita rerum ecclesiasticarum, Deo auxiliante, debeamus providere cautelam, quatenus in eis nulla possit ex neglectu euenire iactura. Proinde fraternitas tua vna cum Bonifacio, nec non & Pantaleone datore presentium fedis nostræ notariis, res ecclesiarum, quæ apud Sipontinam noscuntur esse ecclesiam, curet subtiliter singulas quasque describere: ut tam ministeria ecclesiarum, quam etiam vsuale argentum, vel quidquid aliud est, idem breuis a vobis conscriptus, veraciter rerum facta inspectione, contineat. Nec quamdam ad hoc moram vel excusationem fraternitas tua tentet adducere: sed omni excusatione cessante, hæc quæ a nobis iniuncta sunt, modis omnibus implere festina, eundemque nobis breuem manu tua subscriptum per antedictum Pantaleonem trans mitte; quatenus quid de hoc fieri salubriter debeat, diuina possimus gratia suffragante disponere.

EPISTOLA XLII.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

De peruersitate Felicis nepotis eius.

Gregorius Felici episcopo Sipontino.

EXPECTABAMVS fraternitatem tuam sua aliquos ad Deum prædicatione conuertere, & male agentes ad rectitudinem reuocare. Qua de re nimis contristamur: quia e diuerso in nepotis tui Felicis prauitate tua euidenter, qui talem nutriti, culpa monstrata est. Peruenit itaque ad nos quod suprascriptus Felix Euangeli tui dia-